

www.e-rara.ch

**Disputatio de bonis maternis, aliisque adventiciis liberorum, Aliquot
Thesibus comprehensa**

Rittershausen, Konrad

Basileae, [1591]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-4527>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPV TATIO
DE BONIS
M A T E R N I S,
ALIISQVE ADVENTI-
CIIS LIBERORVM,
Aliquot Theſibus comprehenſa:


*Quas de ſententia Ampliſſimi
Ordinis Iuriſconſultorum in
inclyta Baſilienſium Acade-
mia, pro inſignibus & Priuile-
gijs Doctoratus in Vtroq, Iure
adipiſcendis die xxx. Au-
guſti tuebitur*

CONRADVS RITTERS-
HVSIVS BRVNSVVI-
ceniſis,

A. D. CIO IO XCI.

BASILEAE, TYPIS OPOR.





Nobiliss. Ampliss. et prudentiss.

U I R I S,

D. ANTONIO GEYDERO:

D. PAVLO KOLERO:

*Inclytæ Reip. Noribergensis Se
natoribus & Septem-
viris,*

*D. PHILIPPO CAMERARIO
I. C. eiusdem Reip. Consiliario,
& Academiæ Procan-
cellario,*

*Dominis & Fautoribus suis
colendis,*

Hoc Mon. deb. observant.

L. M. D. D.

*CONRADVS RITTERS-
HVSIVS.*

T H E S I S I.

PATRIA potestas (ut & dominica siue herilis) in duobus potissimum consistit: in Personis liberorum, et in bonis siue rebus.

2. Bona porrò liberorum in potestate vel castrensia sunt, vel q. castrensia, vel profecticia, vel aduentitia.

3. Bona aduentitia (de quibus nunc potissimum agere instituimus) quatuor sunt generum: vel Materna, vel Materni generis (quæ tamen duo pro uno genere sepe nominantur) vel quæ aliorum liberalitate consecuti sunt liberi, vel deniq. quæ suo labore & industria pepererunt.

4. Si incertum sit, ex profecticia an aduenticia causa filius quæserit, distinctionem Ioannis & Azonis (quam & alij probarunt) sequemur, ut pro filio presumamus, si is gnauus sit & industrius, patre inope: pro patre, si filius sit ignauus & iners, patre diuite.

5. Si filius suis manibus fundum paternum coluerit, fructus quos inde percepit, pro parte dimidia ipsi cedent, & bonis aduenticijs adnumerabuntur; pro altera profecticijs. Idem dicendum de lucro per mercaturam & negociationem filij ex re patris quæsito. Vsuræ autè ex patris pecunia filio data redactæ, aduenticijs, non profecticijs annumerande videntur.

6. Res pecunia patris à filio empta, sit filij: sed is pecuniam fratribus pro raris portionibus reddet.

7. His quasi præmunitis, nunc cetera videamus. Iure igitur veteri omnia quæ sunt iuris (ut dominium, obligatio, hereditas, atq. etiam possessio) parentibus per liberos in potestate in solidum acquirebantur. Idq. siue liberi essent legitimi, siue legitimi.

8. Nec enim assentiendum est Glossatoribus quibusdam, ut Castrens. ipse vocat ad l. i. C. de bon. mat. qui materna bona etiam illo iure ad liberos pertinuisse voluerunt. Quorum sententiã Alci. in Paradox. nõ rectè tueri, quos & Pinell. refutat.

9. A superiore autē Iuris definitione Constitutiones Imp-
primò exceperunt peculium Castrense, quod ob fauorem mili-
tiae armatae pleno iure tam hodie quam olim sit filijfam. Qui li-
cet in eo heredem sibi testamento facere possit, tamen si intesta-
tus moriatur, nullum in eo heredem habet, sed pater id iure pe-
culij occupat.

10. Exceperunt deinde & peculium q. Castrense, quod Iu-
risconsultis ignotū Theodosius iunior ad instar peculij Castren-
sis introduxit. In hoc idem iuris quod in Castrensi, idē fauore
militiae togatae. Sed de his duobus generibus nunc pluribus non
agemus.

11. Præterea exceperunt bona materna, quibus à matre
ad liberos vel ex testamento vel ab intestato deuolutis, volue-
runt eorum proprietatem quidem ad liberos, usumfr. verò ad
patrem vel auum pertinere.

12. Eumq; usumfr. pater, licet ad secunda vota transcun-
do nouercam liberis superinduxerit, non amittit.

13. Exceperunt quoq; bona materni generis, id est, ea quae
auus maternus vel auia, itemq; proauus vel proauia nepotib.
aut pronepotibus reliquerint, siue testamento, siue ab intestato,
siue qualicunq; donatione.

14. Quod si liberis emancipatis moriatur mater vel auia,
&c. nō omnium bonorum maternorum ususfructus ad patrem
pertinet, sed pro virili tantum portione.

15. Exceperunt item dotem & donationem propter nu-
ptias, quae à coniugibus inter se datae non adquiruntur parenti-
bus in solidum, sed quò ad usumfr. tantum. De dote autem vel
donatione propter nuptias à patre coniugis datis ita ius est, ut
soluta matrimonio ad ipsum in solidum redeat.

16. Mortuis verò coniugibus, relictis liberis, dos & dona-
tio ea non à parentibus occupatur, sed ad liberos coniugū trans-
mittitur. Idē, siue ex eodem matrimonio sint liberi isti, siue ex
diuerso.

Eademq;

17. Eademq; exceptio, de dote & donatione propter nuptias, etiam ad sponfos porrecta est.

18. Exceperunt deniq; & alia bona aduentitia, præter materna, & materni generis, et nuptialia: nimirum quæ liberi vel aliorum liberalitate, vel sua industria adquisierunt. Hæc enim non pertinent ad parentes, nisi quo ad usumfr. tantum, proprietate eorum liberis reseruata. Habet autem pater etiam pecunia filij aduenticie usumfructum.

19. Hæc omnia propter imminutam patriæ potestatis vim: quæ, olim summa, quò minor et languidior paulatim esse cæpit, eò & effectus eius minor minorq; subinde fuit.

20. A Principe tamen facta liberis donatio non adquiritur patri, ne quidem quò ad usumfr. quæ & alias illud singulare habet, quòd licet summam D. aureorum excedat, sine insinuatione valet.

21. Hinc Bald. approbante Castrense, rectè negat, patri usumfr. competere in feudis regalib. per filium à Rege aut Imp. acquisitis.

22. Res quoq; donata filio ea lege, ut patri ne ususfr. quidem adquiratur, ad filium pleno iure pertinent. Nec interest, parentum aliquis filio hac lege donarit, an extraneus, ut rectè Azo existimat.

23. Nec serui ususfr. habebit pater, eius qui filio hac lege donatus est, ut statim eum manumittat.

24. Sed & hereditas aduenticia filio maiori infante delata excipitur, ea, quam vel filio adire volente iubere aut consentire pater, vel filius à patre iussus adire noluit. Priore namq; casu pater amissione ususfructus multatur, & hereditas in solidum filio acquiritur: altero filius proprietatis amissione punitur, & hereditas in solidum ad patrem peruenit.

25. Eadem & in legatis obseruanda sunt, & in fideicommissis, tam singularibus, quàm uniuersalibus.

26. Si filius nõ expectato reditu et iussu patris absentis, &

delatam ipsi hereditatē ignorantis, ideat, an patri ususfructus
competat, quæri potest; an pleno iure ad filium pertineat heredi-
tatis. Et si quidem pater filij aditionem ratam habeat, ususfr. ei
competet: se us, si eam ratam habere nolit.

27. Quid si filius pacto iurato hereditati matris renūtia-
rit, quod fieri posse putant, poteritne nihilominus pater, matre
intestata moritua, eam adire? Distinguendum, an filius ante
matrem decedat, ut tum pater adire non possit: an vero filius
matri sit superstes, ut tum possit.

28. Illud hic non incommode queritur, si filius heres in-
stitutus, cui alius vulgariter sit substitutus, heres esse nolit, præ-
feraturne pater substituto. Et cum Azone alijsq; patrem sub-
stituto preferri puto. Aliud tamen dicendum, si mater duos fi-
lios institutos inuicem substituatur. Hoc enim casu substitutus pa-
tri preferetur.

29. Idem in hereditate filio ab intestato delata iuris est, ut
pater alijs preferatur, si filius eam repudiet. Non idem, si seruus
adire nolit.

30. Querela tamen patri, inuito filio, non datur.

31. Obiter hic quæri potest, si pater filio, ut hereditatem
perfectivam, siue patris contemplatione ipsi relictam, adeat,
iubere aut consentire nolit, an filius eam nihilominus adire, si-
biq; acquirere possit. Et rectè Castr. ait, posse.

32. An & in donatione, feudo, emphyteusi &c. filio ab
aliquo concessus idem dicemus, ut hæc repudiante filio pater sibi
acquirere possit? Et gl. quidem, quam & Bald. & Castr. alijsq;
laudant, adfirmat, quib. adsentior: si tamen is, qui hæc in filium
collata voluit, patri quoq; eadem non deneget.

33. Bonorum etiam fraternorum, ab intestato delatorum,
usumfr. pater non consequitur. Cum enim in eorum successione
non amplius hodie (ut olim) pater à filio suo defuncti fratre ex-
cludatur, sed cum ipso concurrat, pars eorum quedam ad eum
pleno iure pervenit. Et hunc casum Castr. notandum esse mo-
net, quo

net, quo ususfructus patris per mortem filij extinguitur.

34. Sic si pater coheres filij ab aliquo scriptus sit, non dabitur ei ususfr. in semisse filij.

35. Quod si pater iniusta de causa diuortium fecerit, preter alias pœnas, quibus subiacet, hoc quoq; ususfr. priuatur.

36. Si ob delictum filij bona eius aduenticia foriè publicentur, patrem ususfr. suo priuari putat Angel. referente Castre-se. Sed Menoch. Remed. 9. Recup. poss. quest. 7. probat, patrè non amittere ususfr. si filius bona sua aduenticia apud alium foriè constituta vi rapiens, in pœnam l. si quis in tantam. C. unde vi, inciderit. Quod benignius videtur, et Donello ad d. l. probatur.

37. An, si in monasterium pater ingrediatur, amittat ususfr. Distingunt. Si enim pœna causa illuc detrudatur, eum non amittere: quia cum monachus non fiat, & patriam potestatem retinet, & ususfr. Si ultrò ingressus, monachi sinum profiteatur, amissa patria potestate, dimidiam ususfructus ipsum, perinde ut in emancipatione, perdere. alteram in monasterium transferre.

38. Si filius monasterium ingrediatur, patrem non amittere ususfr. cum Pinelo dicimus.

39. Potest etiam pater filio ususfr. suum remittere & condonare. Verum an id expressè fieri debeat, dubitatur. Et sunt qui velint, remissum à patre ususfr. videri, si filium fructus ex bonis aduenticijs percipere patiatur.

40. Si pater ad consensum suum filio de re aduenticia agenti vel conuento accommodandum citatus, per cõtumaciam non compareat, quidam putant, eum amittere ususfr.

41. Quod autem quidam voluerunt, hereditatem filiosfam. qui in potestate furiosi sunt, delatam, ab illis adiri non posse, & proinde ususfr. eius patri non adquiri: id nec ratione nititur ulla, & aperte cum legib. pugnat, ut prolixè docet Pinel.

42. De illo quoq; dubitatum scio, An & ususfr. filiosfam. relictus patri acquiratur. Et quamuis id Accurs. aliq; Dd. nega-

rint, tamen & hunc ei adquiri defendimus. Az o quidem pater, solum filium hoc casu fore usufructuarium: patrem vero rebus ex usufr. prouenientib. usurum fruiturum.

43. Etsi autem quatuor illa, quae supra enumeravi, bonorum aduentitiorum genera in plerisque, sunt similia: in eo tamen differunt, quod pro maternis, & materni generis, & nuptialibus, filiusfam. in bonis patris tacitam hypothecam habet: cum eam pro labore partis, & ab extraneo donatis non habeat.

44. R. Diff. est, quia bona materna, utpote à matre profecta, & cetera quoque, meliori iure ad filium pertinent, quam labore parta, aut donata.

45. Hec autem tacita hypotheca non ex eo tempore, quo quid male à patre gestum fuerit, sed inde ab initio administrationis paterna, cõpetet. Hoc enim liberis utilius fore visum est, cum pignus ferè eo sit melius, quò est antiquius.

46. Distinguunt autem Dd. malam administrationem patris eam quae fit dolo, ab ea quae culpa: & ob illam quidem volunt, bona patris filio obligata esse: ob istam non item. Similiter inter commissã & omissã distinguunt.

47. Quò ad cetera, eadem in omnibus bonis aduenticijs in ra seruantur, tam quò ad eorum administrationem, quàm quò ad successionem.

48. Pater igitur cum in illis regulariter usumfr. habeat, ut supra dictum, non tamen eo nomine cautionem fructuariam, aliorum fructuariorum more, prestare tenetur: neque fideiussionis dandae necessitate astringitur.

49. Ut neque finito usufr. ad rationes reddendas compelli potest. (Filius autem rationibus reddendis obnoxius est.)

50. Nam & iure veteri haec bona pleno iure ad ipsum patrem pertinebant.

51. Vnde verius videtur, Patrem ne quidem ad Inuentarium de his bonis conficiendum cogi posse. Quorsum enim eius confectionem exigamus ab eo, qui à rationibus reddendis im-

munis

munis sit? Pinell. tamen in contraria est sententia.

52. Quamuis pater, qui filij emancipati tutor est, non minus quam quilibet alius tutor, repertorium facere & rationes reddere cogatur: quemadmodum & mater & auia.

53. Sed & hoc in isto usufr. singulare est, quod non mutatione rei, ut vulgaris, sed personæ (ut morte non filij, sed patris, non tamen eius capitis deminutione) extinguitur, sublata scil. patria potestate.

54. Cum item alij fructuarij rem tueri tantum, eiusq. prestare custodiam teneantur, pater hæc bona non tueri solum, sed plenissima potestate administrare potest. Sed quænam huius administrationis partes sint, & quanta eius potestas, videndum, ut sciamus, quid in his bonis permissum patri, quid interdicitum sit.

55. Primum igitur bona hæc aduenticia summa diligentia pater tueri debet: deinde mancipia alere et vestire: tum exigere debita, & soluere creditoribus, etiam usuras, sed ex fructibus, vel etiam de suo, si in solutione moram fecerit, ut infra dicetur.

56. Actiones quoq. de illis, sed non nisi vel expressè vel tacitè consentiente filio præsentè (nam si absit, consensus ipsius non requiritur) & exercere & excipere, sumptusq. & impensas litis ex fructibus prestare debet: qui si non sufficiant, ad proprietatem veniendum est.

57. Potest autem pater procuratorem constituere etiã ante litem contestatam: cum id tutor vel curator non nisi lite contestata facere possit.

58. Sed an in patrem nomine filij, an in ipsum filium concipiatur libellus, & sententia feretur? Et Azo. in ipsum filium concipiendum putat: sed patrem hic de calumnia iurare debere. & ita moribus usurpari testatur.

59. An & in res hæreditarias pater impensas de fructibus faciet? Distinguunt Dd. inter eas quæ ad præsentem utili-

ratem, & eas quæ ad perpetuam pertinent: & ad illas faciendas eum teneri aiunt; ad istas negant.

60. Quia tamen non pater, sed filius harum rerum est dominus, neg. vendere eas, neg. donare, neg. permutare, neg. omnino alienare potest pater. Quod si contra leges horum quid fecerit, filius quidem resissa alienatione nihilominus eas vindicare; emptor autem aduersus patrem vel fideiussorem de euitione agere potest.

61. Sed an id vivo etiam patre possit, dubitatum fuit. Tenet abimus, non posse, nisi post mortem patris. Quam sententiam, licet filio fortasse incommodam, et à Pinelo quoque improbatam, ius tamen patria potestatis, & pietatis patri à filio debita contemplatio suadere videtur. Castr. distinguit, An filius heres fuerit patris alienantis, necne: ut huic concedatur reuocatio; illi non item, nisi pater vendens exprimat, se rem filij vendere. Distinctionem probat Pinel. exceptionem reijcit.

62. Non obstabit autem filio alienationem à patre factam rescindentem, suamque bona vindicanti, longi temporis prescriptio; sed longiss. temporis prescriptio obstabit: quæ quidem contra eum non statim à tempore alienationis, sed ex quo sui iuris factus est, & quidem pubes, currere incipit.

63. Si tamen pater iusto facti errore bona filij aduenticia pro suis vendat, Castr. putat, ob titulum hunc, licet putatiuum, longi quoque temporis prescriptionem obstaturam.

64. Queritur, An pater ipse reuocare possit, quod ex his bonis forte alienauit? Et vulgò Dd. (etiam Pinelus) cum Accursio existimant, posse: ut & Prælati res Ecclesie à se alienatas, & maritus fundum dotalem. De qua tamen sententia non immeritò dubitari potest.

65. Neg. solum alienatio harum rerum, sed & obligatio & hypotheca patri interdicta est. Vt enim res oppignerari possit, vel debitoris eam esse, vel in ipsius saltem bonis oportet.

66. Sic & alias ferè, quarum rerum alienatio, earundem & obligatio in iure prohibetur.

Nec

67. Nec in Emphyteusim eas dare, nec seruitutem illis imponere potest. Sunt tamen qui putant, seruitutem durare durante usufr. patris: eo extincto, extinguere.

68. Compromittere tamen & transigere, modo ne deminuendi causa, donandue animo id faciat, posse videtur, exemplo procuratorum & tutorum. An & usucapio hic Alienationis verbo comprehenditur? Id recte negat Pinelus.

69. Ut & locatio patri permissa est, non solum exigui temporis, sed ea quoque, que ad longum sit tempus. Fugit enim illos ratio, qui locationem longi temporis Emphyteusim & alienationis quandam speciem esse, & conductorem longi temporis dominum aliquod consequi putant.

70. Sed quod de alienatione patri prohibita diximus, non est perpetuum. Primum enim, ut tutor prædia pupillaria ob æ alienum, maxime ex defuncti persona descendens; ut item possessor hereditatis res hereditarias; ut denique æconomus vasa sacra Ecclesie ob eandem causam alienare potest, cum id eis alius sit prohibitum: ita & pater ad dissolucendum æ alienum, quod defunctus, à quo hæc bona ad filium peruenerunt, contraxit, non solum potest, verum etiam debet hæc res statim alienare, ut vel usurarum cursus, vel pignoris, forte pretiosi, distractio inhibeat.

71. Non enim alienari quidquam videtur, cum æ alienum dissoluitur.

72. Recte autem fecerit pater, si in hac alienatione ordinem ab Azone, exemplo fortasse ordinis in executione rei iudicata tenendi, l. 15. à Diuo Pio. D. de re iud. prescriptum obseruari.

73. Quod si differat pater, suo id facit periculo, & vel de fructibus, vel de suo postea id æ alienum una cum usuris solvere cogetur.

74. Neg. verò patri bona ea alienanti ob æ alienum, decreto opus est: quemadmodum nec in prædiorum pupillariorum

alienatione ob hanc causam facta tutori: quod tamen Az. o. Castr. aliq. existimarunt.

75. Deinde & ob legata ac fideicommissa à filio relicta præstanda, sijs soluedis fructus non sufficiant, patri alienatio permissa est.

76. Præterea res inutiles, & tempore perituras, deteriorés ve futuras (inter quas pecuniam non esse, rectè notat Pinelus) quæq. nimium sumptuose filio non tam emolumento sunt quam oneri, possunt alienari à patre, non minus quam à possessore hereditatis, & ab hærede deliberante res hereditariæ, & à tutore res pupillares.

77. Cum enim in gratiam & fauorem filij (ut & pupilli sue minoris) prohibita sit alienatio, non est in eius odium et detrimentum retorquenda.

78. Verùm an ea quoq. alienatio patri permissa sit, quam filio utilem esse dicat, quesitum est. Et quamuis Accursio auctore vulgò obtinuerit, permissam esse: quia tamen hac opinio periculosa, & liberis admodum est damnosa, tutius ac melius videtur cum Imp. dicere, non posse patrem extra memoratas causas hæc bona alienare.

79. Si defunctus rem emerit cum pacto quandoq. reuendendi, pater implendi eius pacti causa bona filij aduenticia reuendendo alienare potest.

80. Donata aut filio non posse patrem rursus donare, & q. remunerationis causa donatori reddere, verius est. Sed an ad tandam filiam alienare possit? Negamus cum Pinelo: nisi patre inope, filia aliunde dotari non possit. Nam & fratrem dotare debere sororem germanam, si inops ea sit, communiter receptum est.

81. Querit quidam, valeátne alienatio à patre consentiente filio facta? Et arg. l. 3. C. De in integ. rest. min. respondet, eã valere, si filius nullum habeat tutorem vel curatorem: læsum tamen filium debere in integrum restitui. Sed quomodo filius in
potestate

potestate tutorem vel curatorem habere possit, intelligi non potest.

82. Habet autem prohibitio alienationis locum etiam inter nobiles.

83. An pater, qui in harum administratione rerum male versatur, remouendus sit, exemplo tutoris suspecti. Ad patrem luxuriosum (ut ait) indistincte ab administratione repellit. Alij culpam à dolo distinguunt: commissam item ab omisis, ut supra dictum. Sed fortasse tutius erit sequi distinctionem Bartoli, quam & Castr. probat, Non remouendum, si in rebus soli male versatur, cum ea semper à liberis reuocari possint: remouendum si in bonis mobilibus, & si non sit soluendo.

84. Hec tamè remotio, etiam si ob dolum, neq; infamia notabit patrem, neque precibus aut actione à liberis instituta, sed auctoritate Praetoris aut alterius magistratus fiet.

85. Bona igitur aduenticia ipsa alienare pater, nisi certis (ut dictum est) casibus, non potest. Vsum fructum tamen suum, quem in illis habet, alienare non prohibetur: ut nec alius quilibet fructuarius, quod à Balduino traditum rectè contra Glossatores probat Pinelus.

86. Hoc igitur iuris patri in his bonis datum est. Sequitur ut de iure filij agamus. Is ergo eorum dominium seu proprietatem, & pro eorundem conseruatione tacitam hypothecam in bonis patris habet, ut supra dictum.

87. Alienare tamen ipsa (ut donare, vendere, permutare, in Emphyteusim dare) aut obligare non potest filius, nisi consentiente patre: ut neq; testari de illis. Sed hoc ne consentiente quidem patre potest.

88. Ad eò autem inutilis est alienatio, ut ne iurciurando quidem à filio, alienante apposito confirmetur.

89. Filium cum consensu patris bona sua aduenticia, vel eorum partem, etià nouerca sua donare posse, verius puto: quamuis contrarium Decio visum fuerit conf. 279.

90. Quòd si (ut quibusdam casibus contingere, suprà dictum) pater ne usufr. quidem in his bonis habeat, poterit ea filius alienare inter vivos, & suo arbitrio administrare.

91. Testari tamen ipsum de his, ut de castrensibus & q. castrensibus, non posse, rectius Dd. placuit quàm Ioh. Vaudo.

92. Si filius horum bonorum nomine agat vel conueniatur, nec satis constet, an pater usufr. in illis habeat, necne, pater ad declarandum consensum & voluntatem suam cogi potest. Qui tamen consensus ad substantiam & solennitatem iudicij non est necessarius. Sed defendere pater filium hoc casu non compellitur.

93. DIXIMVS de iure, quod tam pater quàm filius in hisce bonis habent dum viuunt. Deinceps ut de successione eorum agamus, consequens est. Primum ergo filius, cum de bonis aduenticijs (ut tam dictum) testari non possit, heredem in illis ex testamento nullum habet.

94. Ab intestato, si quidem filius habeat liberos, hi excluso patre sine auo suo, succedunt: cui tamen usufr. in his bonis saluus manet, qui morte filij non extinguitur.

95. Si sine liberis decedat, relictis forè fratribus, hi olim quidem (ut & suprà dictum) excludebant patrem; hodie verò nouo iure cum ipsis concurrit pater, itemq; mater: ijq; coniunctim omnes in illis bonis aduenticijs succedunt in capita, seu in virilem portionem. An autem in successione ista fratres defuncti præferantur auo, eumq; excludant, AZO dubitat. Dicemus, eum excludi.

96. Quòd si nepos sit is, cuius de successione agitur, isq; nec liberos habeat, nec fratres, sed tantum patrem & auum superstites, pater præferitur auo: cui tamè et hic usufr. saluus manet.

97. Si pater, in cuius potestate est filius, moriatur, extincto usufr. plena horum bonorum proprietates ad filium redit: eaq; is sibi præcipua habet, non minus quàm castrensia, nec cum fratribus conferre cogitur.

98. Morte igitur patris hic ususfr. (ut & quilibet alius morte fructuarij) extinguitur: morte filij non item, nisi uno casu, de quo supra Thef. 33. Emancipatione tamen eius finitur. Cum enim patria potestate mitatur, hac sublata ipse quoque tollitur.

99. Pater tamen emancipator, si quidem post acquisitionem eorum bonorum emancipet filium, semissem ususfr. habet; cum olim trientem dominij haberet: sin ante, in ceteris quidem aduenticijs nihil omnino iuris, in maternis virilem tantum portionem.

100. An autem pater inter emancipandum pacisci sibi possit usumfr. eorum bonorum, quæ postea filio acquirentur, questum est. Et recte Ioh. And. addit. ad Spec. tit. de nat. ex lib. vent. in si. negat.

101. Quæri potest, Rectene patri, præsertim alterum matrimonium contrahenti, administratio illa bonorum maternorum statuto seu lege municipali adimatur, ut in celebri quadã Rep. factum audio. Et propter certas causas id fieri posse, defendimus, maxime in libera ciuitate Imperij, cui vel moribus vel priuilegio Imp. & alia (quæ vocantur) Regalia, & legis condende ius competit.

102. Quemadmodum & in alia Rep. non ignobili, uxori dotis suæ, marito ad inopiam vergente, repetende facultatem, lege municipali, non sine graui causa, ademptam memini.

103. Postremo, etsi hodie nostris moribus patria potestas, quæ huius acquisitionis fundamentum est, adeo ferè est immutata, ut vix umbra eius tenuis sit relicta: ea tamen quæ hucusque disputauimus, hodieq; maximum in vita usum habent. Et patriam potestatem renocari, fortasse non fuerit Reip. inutile.

104. Vt nec herilis potestas & mancipiorum usus moderatus, vel natura omnino, vel Reip. utilitati, vel Christiana libertati aduersari videtur.

105. Quemadmodum neq; Fendorum usus Reip. utilitati repugnat.

F I N I S.

